CONCLUSIO VIII. Quod si verò aëris columna *gfec* plus valet in cylindrum aqueum *cb* minorem, quàm alia *ih* in cylindrum aqueum majorem *ab*, indeque sequitur necessariò profluvium aquæ *ba* & subsecutio aquæ *cb* aërisque *ec*; multò magis necessum est idem profluvium sequi in casu *Phæn. X.* ubi cylindrus minor B C aquæ immersus non solùm ab aëris vicini columna, sed junctim ab aqua E C urgetur, quæ adeò ipsum cedentem tamdiu necessariò sequitur, quamdiu ab incumbente aëris mole & ipsa premitur, h. e. (cùm semper prematur) quamdiu orificium C attingit. Causa X. Phæn.

CONCLUSIO IX. Facilè porrò hinc elucescet causa, cur idem aquæ fluxus è longiore Siphonis crure B A continuetur, si & ipsum aquæ immersum fuerit, modò minus profunda illa sit, quàm illa altera cui crus brevius B C impendet. Nam si mente removeamus ex utroque vase aquam, pondus aërei cylindri qui aqueum C B breviorem urget, superat vim alterius qui urget cylindrum *B A*, *vi Conclus. VIII.* Si igitur superanti aëri jungatur adhuc cylindrus aquæ altior v. g. C E, superato autem cylindrus aquæ minor, e. g. à fundo vasis usque ad A; illum adhuc superare, imò tantò magis, oportet, quantò magis nunc aqua in crure C B, & ab aqueo cylindro E C & ab incumbente superiùs aëre urgetur. Quoniam autem, continuato ita fluxu aquæ ex vase E F, in vas D A, viribus antè superantibus subinde aliquid demitur & superatis additur; mirum esse non potest, quod aquæ fluxus per Siphonem paulatim evadat tardior tardiorque, tandemque, ubi in utroque vase reducta fuerit ad æquilibrium, omninò sistatur. Postquam enim in vase altero aqua delapsa est ab E ad F, in altero contrà ascendit ab A ad D usque, ut sint superficies F & D in æquilibrio, aquæ cylindri in utroque crure rediguntur pariter ad æquilibrium, quod ita patet: Cylindrus C B & pars majoris B G, æquiponderant, æqualis quippe altitudinis: Addito igitur pondere aquarum, ibi F C hîc D G, altitudine æqualium, adhuc æquiponderabunt. Solus igitur cylindrulus in crure majore residuus G A, videretur posse tollere æ- Causa XI. Phæn.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG